

EPISTULA LEONINA

CCXXX

HEBDOMADALE
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM TRICESIMAM (230) !

ARGUMENTA

PRAEFATIUNCULA.....	02
DE NON APPARENTIBUS ET NON EXISTENTIBUS.....	03
CHRONOGRAMMATA PATRIS HERBERTI DOUTEIL BRASILIENSIS.....	04-05
CHRONOGRAMMA DEMMINGIANUM.....	06
DE ROMANORUM RE PUBLICA LIBERA (Teresi).....	07-09
CORONARIAE QUAESTIONES CRITICAE.....	10-17
LIBERTINI FRANCOFURTENSES NUMEROS EXPLICANT PANDEMIAE.....	18-20
BERNENSIS MANIFESTATIO HYGIENICA FORMIDULOSA.....	21-22
QUONAM MODO EXORTA EST PANDEMIA CORONARIA?.....	23-25
FABELLAE ANDERSENIAE (I): De regina nivali.....	26-27
ECHUS VOCES EPISTULAE.....	28
CORRIGENDA ET SUPPLENDIA.....	29
ECCE LIBRI LEONIS LATINI.....	30-33

PRAEFATIUNCULA

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS
SAL.PL.DIC.**

Cara Lectrix, Cara Lector,

gaudenter Te invito, ut denuo fruaris lectione Epistulae Leoninae. Hac quoque in Epistulâ Leoninâ (EL 230) habemus vehementer varia: chronogrammata, romana, criticae quaestiones coronariae, fabella Anderseniana.

Ergo lege symbolas Leoninas – tolle lege mirare!

Medullitus Te salutat

**Dr. Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS
Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Dominicâ, 07. m.Mart. a.2021**



SECRETUM. A.1657 PINXIT NICOLAES MAES

DE NON APPARENTIBUS ET NON EXISTENTIBUS EADEM EST RATIO

cfr <https://legal-dictionary.thefreedictionary.com/De+non+apparentibus+et+non+existentibus> +eadem+est +ratio. De non apparentibus et non existentibus eadem est ratio. *The reason is the same respecting things which do not appear, and those which do not exist. A Law Dictionary, Adapted to the Constitution and Laws of the United States. By John Bouvier. Published 1856.* ---- Hoc proverbium iuridicum citatur ab **Henrico Fielding (1707-1754)** in fabulâ illustrissimâ, quae inscribitur: “**The History of Tom Jones**”, in libro I, cap.VIII, ubi narratur de **Domina Bridget Allworthy** virgine vetulâ, quae curiositate suâ inducta solet per foramen, quod inest ianuae graphei fratris, eius colloquia clam et invisibiliter auribus suis aucupare sive intercipere. Quia frater interdum muneris iuridici causâ etiam colloquitur cum hominibus parum probis parumque eruditis, fit, ut Domina clam audiens erubescat. Sed nullus vir videt eam erubescere; est ergo erubescens mulieris non apparet ratione iuridicâ haud aliter consideranda ac erubescens, quae non fit: **De apparentibus et non existentibus eadem est ratio.** En lege verba Henrici Fielding originalia:

“This hole in her brother’s study-door was indeed as well known to Mrs. Bridget, and had been as frequently applied to by her, as the famous hole in the wall was by Thisbe of old. This served to many good purposes. For by such means Mrs. Bridget became often acquainted with her brother’s inclinations, without giving him the trouble of repeating them to her. It is true, some inconveniences attended this intercourse, and she had sometimes reason to cry out with Thisbe, in Shakespeare, “O, wicked, wicked wall!” For as Mr. Allworthy was a justice of peace, certain things occurred in examinations concerning bastards, and such like, which are apt to give great offence to the chaste ears of virgins, especially when they approach the age of forty, as was the case of Mrs. Bridget. However, she had, on such occasions, the advantage of concealing her blushes from the eyes of men; and **De non apparentibus, et non existentibus eadem est ratio** — in English, “When a woman is not seen to blush, she doth not blush at all.”

CHRONOGRAMMATA PATRIS HERBERTI DOUTEIL

In mensem Martium ineuntem




MENSIS MARTIVS

Haec imago ca. a.1515 picta invenitur in Breviario Grimani Brugensi.

2021* MartIVs a Marte IoVIIs patrIs et IVnonIs. - <das Wort> März stammt von Mars, dem Sohn des Göttervaters Jupiters und der Juno. – vgl. Durandus, Rationale VIII,4,5

In Eugenium Pacelli Papam Pium XII.



Zum **2. März, dem 145. Geburtstag** (2.3.1876) und dem 82. jährigen Gedächtnis der an diesem Tag im Jahre 1939 nach nur drei Wahlgängen erfolgten Wahl von **Eugenio Pacelli**, der früher einmal Nuntius des Vatikans in Bayern und Deutschland gewesen war, zum **Papst Pius XII.:**

2021* EVgenIVs PaCeLLI antea LegatVs eLeCtVs seXagenarIVs qVIInariIVs eCClesIae ChrIstI papa PIVs XII eLegIt pontIfICatVs sVI sententIaM: opVs IVstItIae paX Vera VrbI et orbI – Eugenio Pacelli, der frühere Legat, der an seinem 65. Geburtstag zum Papst der Kirche Christi gewählt worden ist, nahm sich zum Leitspruch: „Das Werk der Gerechtigkeit ist der echte Friede“ für die Stadt <Rom> und den Erdkreis.

2021* VerItas Vt regnet, IVstItIa aLta Vt eI fIat: sanCtIfICetVr PIVs papa XII EVgenIVs PaCELLI fortIs et VerVs IVstVs e nationibVs Defensor paCIIs totIVs orbIs aC popVLI eLeCtI Contra HITler atqVe perseCVtores naCionaLsoCIAListas. – Möge die Wahrheit herrschen, möge die göttliche Gerechtigkeit Wirklichkeit für ihn werden: Möge Papst Pius XII. – Eugen Pacelli -, der tapfere und wahrhaft **Gerechte aus den Völkern**, der Verteidiger des gesamten Erdkreises und des auserwählten Volkes gegen Hitler und die Nazis, ihre Verfolger, heiliggesprochen werden!

CHRONOGRAMMA DEMMINGIANUM

Zum 5. März 2021

ROSA LVXEMBV RG
ELOQVENS AVCTRIX POLITICA
FORTIS LIBERTATIS PROPVGNATRIX
HODIE TRIGINTA LVSTRIS ANTE NATA

Rosa Luxemburg, wortmächtige politische Autorin, mutige Vorkämpferin der Freiheit, wurde heute vor 150 Jahren geboren.

hdf

DE ROMANORUM RE PUBLICA LIBERA

VERBA CICERONIANA ET LIVIANA EXCERPSIT IOHANNES TERESI

Exornatissime ac doctissime Director,

Scriptum meum: "**De libertate ab originis: antiqua re publica**" Vobis subicere volo. Si non exstant menda et si insuper hoc Vobis placet, potestis benigne more solito id in lucem edere "Epistula Leonina".

Salutem Vobis dico,

Johannes Teresi

Libertas est naturalis facultas eius quod cuique facere libet, nisi si quod vi aut iure prohibetur. Servitus est constitutio iuris gentium qua aliquis dominio alieno contra naturam subicitur.

"Libertatis autem originem inde magis quia annum imperium consulare factum est, quam quod deminutum quicquam sit ex regia potestate, numeres. Omnia iura, omnia insignia primi consules tenuere; id modo cautum est ne, si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur. Brutus prior, concedente collega, fasces habuit; qui non acrior vindex libertatis fuerat quam deinde custos fuit. Omnium primum avidum novae libertatis populum, ne postmodum flecti precibus aut donis regiis posset, iure iurando adegit neminem Romae passuros regnare. Deinde, quo plus virium in Senatu frequentia etiam ordinis faceret, caedibus regis deminutum patrum numerum, primoribus equestris gradus lectis, ad trecentorum summam explevit. Traditumque inde fertur ut in Senatum vocarentur qui patres quique conscripti essent: conscriptos, videlicet novum Senatum, appellabant lectos. Id mirum quantum profuit ad concordiam civitatis iungendosque patribus plebis animos." (LIVIUS, Ab urbe condita libri 2,1)

Quid est enim libertas? Potestas vivendi ut velis "Libertas cuius proprium est sic vivere ut velis"

(CICERO, Paradoxa Stoicorum 34; De officiis 1, 70).

"Liberi iam hinc populi Romani res pace belloque gestas, annuos magistratus, imperiaque legum potentiora quam hominum peragam. Quae libertas ut laetior esset proximi regis superbia fecerat. Nam priores ita regnarunt ut haud immerito omnes deinceps conditores partium certe urbis, quas nouas ipsi sedes ab se auctae multitudinis addiderunt, numerentur; neque ambigitur quin Brutus idem qui tantum gloriae superbo exacto rege meruit pessimo publico id facturus fuerit, si libertatis immaturaे cupidine priorum regum alicui regnum extorsisset.

Quid enim futurum fuit, si illa pastorum conuenarumque plebs, transfuga ex suis populis, sub tutela inuiolati templi aut libertatem aut certe impunitatem adepta, soluta regio metu agitari coepta esset tribuniciis procellis, et in aliena urbe cum patribus serere certamina, priusquam pignora coniugum ac liberorum caritasque ipsius soli, cui longo tempore adsuescit, animos eorum consociasset? Dissipatae res nondum adultae discordia forent, quas fovet tranquilla moderatio imperii eoque nutriendo perduxit ut bonam frugem libertatis maturis iam uiribus ferre possent. Libertatis autem originem inde magis quia annum imperium consulare factum est quam quod deminutum quicquam sit ex regia potestate numeres. Omnia iura, omnia insignia primi consules tenuere; id modo cautum est ne, si ambo fasces haberent, duplicatus terror uideretur. Brutus prior, concedente collega, fasces habuit; qui non acrior uindex libertatis fuerat quam deinde custos fuit. Omnium primum audum nouae libertatis populum, ne postmodum flecti precibus aut donis regiis posset, iure iurando adegit neminem Romae passuros regnare. Deinde quo plus uirium in senatu frequentia etiam ordinis faceret, caedibus regis deminutum patrum numerum primoribus equestris gradus lectis ad trecentorum summam expleuit, traditumque inde fertur ut in senatum uocarentur qui patres quique conscripti essent; conscriptos uidelicet nouum senatum, appellabant lectos. Id mirum quantum profuit ad concordiam ciuitatis iungendosque patribus plebis animos.”

(LIVIUS, Ab Urbe Condita Libri, 2 §1)

Non in regno populum Romanum sed in libertate esse. (LIVIUS, op.mem. 11, 15)

“Mundum autem censem regi numine deorum, eumque esse quasi communem urbem et civitatem hominum et deorum, et unum quemque nostrum eius mundi esse partem; ex quo illud natura consequi, ut communem utilitatem nostrae anteponamus. Ut enim leges omnium salutem singulorum saluti anteponunt, sic vir bonus et sapiens et legibus parens et civilis officii non ignarus utilitati omnium plus quam unius alicuius aut suae consulit. Nec magis est vituperandus proditor patriae quam communis utilitatis aut salutis desertor propter suam utilitatem aut salutem ex quo fit, ut laudandus is sit, qui mortem oppetat pro re publica, quod deceat cariorem nobis esse patriam quam nosmet ipsos. Quoniamque illa vox inhumana et scelerata dicitur eorum, qui negant se recusare quo minus ipsis mortuis terrarum omnium deflagratio consequatur, quod vulgari quodam versu Graeco pronuntiari solet, certe verum est etiam iis, qui aliquando futuri sint, esse propter ipsos consulendum.” (1)

(1) *Licentia (cfr Liv. XXIV 25,8 ea natura multitudinis est: aut servit humiliter aut superbe dominatur; libertatem, quae media est, nec struere modice nec habere sciunt; CICERO, Pro Plancio 94 libertatem ... non in pertinacia, sed in quadam moderatione positam putabo; TACITUS, Dialogus de oratoribus 23;*

CICERO, Flacc. 16 illa vetus ... hoc uno malo concidit, libertate immoderata ac licentia contionum; LIVIUS, op.mem. XXIII 2, 1; XXXIV 49, 8].

“*Legum idcirco omnes servi sumus ut liberi esse possimus.*” **CICERO** (Pro Caelio 146). - *Dignitas est secundum leges, alicuius honesta et cultu et honore et verecundia digna auctoritas.*

(De inventione 2, 166; cfr Epistulae ad Quintum fratrem I 2, 3).

Oportet colere cives suffragium latuos

"Male iudicavit populus. "At iudicavit. "Non debuit. " At potuit. "Non fero." At multi clarissimi et sapientissimi cives tulerunt. Est enim haec condicio liberorum populorum, praecipueque huius principis populi et omnium gentium domini atque victoris, posse suffragiis vel dare vel detrahere quod velit cuique; nostrum est autem, nostrum qui in hac tempestate populi iactemur et fluctibus, ferre modice populi voluntates, adlicere alienas, retinere partas, placare turbatas; honores si magni non putemus, non servire populo; sin eos expetamus, non defetigari supplicando. Venio iam ad ipsius populi partis, ut illius contra te oratione potius quam mea disputem. Qui si tecum congrediatur et si una loqui voce possit, haec dicat:

"Ego tibi, Laterensis, Plancium non anteposui, sed, cum essetis aequi boni viri, meum beneficium ad eum potius detuli qui a me contenderat, quam ad eum qui mihi non nimis submisso supplicarat."

Respondebis, credo, te, splendore et vetustate familiae fretum, non valde ambiendum putasse. At vero te ille ad sua instituta suorumque maiorum exempla revocabit: semper se dicet rogari voluisse, semper sibi supplicari. (CICERO, Pro Plancio 11-12)

"Leges rem surdam, inexorabilem esse, salubriorem melioremque inopi quam potenti; nihil laxamenti nec veniae habere, si modum excesseris."

"Per dolum ac prodigionem prope libertas amissa est." (ex sententiis Ciceronis)

Johannes Teresi

25 QUAESTIONES CRITICAE AD MORBUM CORONAE SPECTANTES

<http://www.pi-news.net/2021/02/25-kritische-fragen-zu-corona/>

QUIDNI VIDEMUS HOMINES IN VIA MORIENTES?

1. Quare non die noctuque audimus sirenas vehiculorum, quibus homines servantur morbo periculosê affecti?
2. Quare ad instituta funeralia non plura corpora mortuorum afferuntur quam annis praeteritis?
3. Quare in coemeteriis non videmus ordines hominum infinitos, qui exsequias comitentur defunctorum sibi carorum?
4. Quare ex indicibus statisticis appareat mortalitatem hominum anno 2020 non esse exauctam?
5. Quemnam in locum a.2020 evaserunt homines influentiâ interfici, qui annis praeteritis semper fuerant deflendi? Quid de morbo influentiae, quae omni autumno nobis plus minusve imminuit? Num post duo milia annorum subito evanuit? Hoc credat Iudas Apella! Quae adhuc adest nomine mutato: Influentia nunc appellatur Corona.
6. Si prima quarantena generalis (*lockdown*) fuit efficax, quare eadem nunc repetitur?
7. Si quarantena generales nihil efficiunt, quare easdem repetimus?
8. Quare gubernatio semper perpaucos audit virologos et epidemiologos semperque eosdem, quos dicit esse rei coronariae peritos, neque audit scientistas harum disciplinarum optimê famatos atque probatissimos?
9. Quare in televisorio spectamus stationes nosocomiorum hominibus patientibus abundantissimas, quamquam reverâ eaedem minimê abundant?

10. Quare nosocomae arte aegrotos curandi bene eruditae opere vacant et quare clinica clauduntur parum petita?
11. Quare gubernationes nationum ferê totius mundi iam a.2018 sibi mandaverunt probam PCR?
12. Si mascae contaminatae sunt vîro contagiosissimo, quare easdem in omnem ferê angulum videmus abiectas?
13. Quare in variis terris valent varia praecepta distantiae coronariae?
14. Si virus coronae non transfertur ab infantibus, quare scholae sunt clausae?
15. Si mascae sunt efficaces, quidni iam pridem adhibentur ad influentiam impugnandam?
16. Quare numquam videmus homines fatali lue coronae in viâ prostratos?
17. Quare magni supermercatûs victualium sunt aperti, in quibus aliquod centum homines simul merces emunt, cum tabernulae mediâ in urbe sitae, quae capiant duos tantum tresve emptores, sint clausae?
18. Quare ii homines, qui probâ PCR factâ evaserunt positivi, appellantur „casûs coronae“, pro eo, ut appellantur „positivê probati“?
19. Quare gubernatio oblîta est homines certiores facere ipsam WHO (i.e. organisationem valetudinis mundanam) iam pridem concessisse probam PCR non esse fidelem?
20. Si sternutatione diffundi possunt vira covidiana usque ad duo metra, quare distantia nobis est observanda tantummodo per unum metrum et dimidium?
21. Quare commendatur manûs decies in die alcohole disinficere, quamquam eodem cutis graviter affligitur?

22. Quare egemus vaccino experimentali ad virus impugnandum, cuius portio supraviventiae¹ est 99,9% (nonaginta-virgula-novem partium per centum)?

23. Si vaccinum est efficax, quare tamen dicitur virus posse transferri ab hominibus vaccinatis?

24. Si quis est iam vaccinatus, quare tamen ei masca est gerenda, distantia observanda?

25. Quot homines privatim noveras, quos certo scis effectu morbi covidiani esse mortuos – et quot homines novisti, qui laborant detrimentis vaccinatione effectis?

His quaestionibus bene consideratis, cara Lectrix, care Lector, proximâ vice domum relinquens delibera, queso, num reverâ vivamus in terrâ, ubi saeviat pandemia mortifera...

(Hae quaestiunculae condideratu dignae inventae sunt in canali telegrammatico, c.t. „Free your mind“)



Verba macrocollo manifestatoris inscripta valent haec: “Propter neonacistas et denegatores Coronae nobis omnibus imminet magnum periculum!”

¹ *supraviventia, -ae f. cfr Galeota Fabius Capace, *Responsa fiscalia*, Neapoli 1724, p.81.



Verba macrocollo manifestatoris inscripta valent haec: “Illâ aetate (saeviit) furor maleficas (persequendi), hodie furor Coronae“

Dilêmma êthicum

16 QUAESTIONES AD PANDEMIAM CORONAE SPECTANTES

*Scripsit [Achijah Zorn](#), Latinê reddidit Leo Latinus
die Saturni, 5. m.Dec. a.2020*

„Omnia autem probate: quod bonum est tenete“ dicit Paulus Apostolus in Primâ Epistulâ ad Thessalonicenses datâ (1 Thessal. 5,21).

Primo: Quantopere timeamus atque terreamur propter pandemiam, quâ anno 2020 – contra ac undâ influentiae quibusdam annis prioribus saeviente - in plerisque terris mundi nulla effecta est insignis supramortalitas?

Secundo: Quae sunt criteria, quibus in Germaniâ dicatur saevire „epidemia tantae efficientiae nationalis“, ut iura fundamentalia magnopere deminuantur? Si per spatium annum moriuntur altero tanto plures homines quam solito? Si omnes lecti nosocomiorum intensivi sunt occupati? Si numerus infectionum novarum septimanarius superat quinquaginta? Si gubernationes tali statu epidemiae declarato pariunt maiores valores demoscopicos?

Tertio: Si occupatio lectorum intensivorum est criterium decisivum „epidemiae efficientiae nationalis“, nonne numero lectorum intensivorum sub praetextu „reformationis valetudinariae“ deminuto consulto epidemia declarari potest, ut diminuantur iura fundamentalia?

Quarto: Licetne loqui de „epidemiâ efficientiae nationalis“, si aetas media eorum, qui vîro coronae infecti sunt mortui, superior est spatio vitae nostrae medio, quod complectitur annos octoginta?

Quinto: Nonne sunt remedia quarantena generalis, quibus plus detrimenti efficiatur quam utilitatis? Nonne sunt quaedam remedia quarantena generalis inepta, quia in aliis provinciis valetudinis minore sumptu pecuniario maior acciperetur utilitas?

Sexto: Sciuntne gubernationes divitum civitatum industrialium se remediis suis coronariis oeconomiae adversis magnam efficere miseriam mundi tertii, ubi augentur paupertas et fames et morbi? Nonne fieri potest, ut sôli effectûs remediorum ibidem mortiferi plus miseriae afferant quam ipsum virus coronae? Intelliguntne homines politici, qui sollemniter declaraverunt se velle vitam tutari, se relinquere vestigium mortis profundum? Sciuntne homunculi coronae theloboni¹ partem dilemmatis moralis effici a se ipsis? Nonne decet ipsam ecclesiam hac occasione nactam dilemmata moralia apertê atque sincerê perscrutata pandat agnis suis opem latura?

Septimo: Licetne ratione criticâ in dubium vocare vaccinum, quod praeproperê praedicatur esse medicamentum salvificum? Cur homines vaccino egent, qui gregis vulnerabilis non sunt participes? Quantum valent vaccina specialiter ad greges vulnerabiles? Effectûs secundarii et consequentiae temporis longi quamdiu sunt disquirendae, usque dum liceat vaccinum inicere generi humani? Si quod vaccinum „casu necessitatis“ admissum est praeproperê, quis obligatus est ad damnum resarciendum?

Octavo: Quaenam est ratio, quae intercedit inter mascae salvaticis putativa utilitatem eiusdemque detimenta? Quot vira coronae mascis cottidianis retinentur? Quantum valet ad valetudinem hominum

¹ ***thelóbonus**, -ī m. theod. “Gutmensch”. cfr AUG. thelodives.

mascam gerentium eosdem continuo inhalare aerem carboneo dioxydato abundantem? Mascae cottidianae num utiles sunt extra conclavia conclusa? Qui sunt effectūs psychici atque sociales mascam gerendi? Num omnis homo, qui mascā cottidianā utitur negligenter, est interactor multorum hominum potentialis? Estne gubernatio nostra foederalis interfectrix hominum massalis, quia non omnibus civibus comparavit mascas medicinales?

Nono: Estne necessarium politicā ratione coronariā effici, ut pecuniā immoderatē imprimendā fiat inflatio monetalis et aes alienum contrahatur usque ad insaniam? Nonne eo ipso aliquando fieri poterit, ut totum sistema societatis multo magis affligatur quam ipso morbo?

Decimo: Nonne remedia coronaria excogitata sunt secundum imaginem hominis biologicam humanitati adversam, quā prolongatio vitae habetur pro scopo hominis omnium praestantissimo? Quonam modo agendum est cum hominibus, qui istam imaginem hominis biologicam reprobent? Dicamus rem sensu concreto: Quidnam respondebis senibus in gerontocomiis versantibus, qui diebus Natalis Domini malunt convenire necessarios suos aut amicos realiter, etsi eo ipso fieri poterit, ut prius moriantur? Nonne secundum imaginem hominis christianam socialitas hominum saltim tanti valet quanti valetudo?

Undecimo: Num conventūs digitali-virtuales per spatum temporis longius tantum valent, quantum conventūs analogici? Licet tantum valeant iuvenibus – quid de infantibus, senibus, hominibus dementibus?

Duodecimo: Gubernatio in pandemiā quasnam res debet dirigere et praecipere? Quasnam res cives prudentes, qui discere seque accommodare parati sunt, multo melius sciunt ipsi responsales et propriā voluntate incitati suscipere tractandas?

Tertio decimo: Si gubernatio dicit se velle protegere greges civium vulnerabiles, nonne rem nomine protegendi fucans sentit se velle illos homines a societate secludere insulatos? Quomodo greges vulnerabiles efficacius possunt protegi non a vitā sociali exclusi?

Quarto decimo: Nonne facile intellectu est sive diurnarios sive politicos sive fabricatores industriaes pandemiâ coronariâ usos suo commodo suoque lucro servire? Nonne consentaneum est, ut etiam in pandemiâ quaeramus „cui bono?“ Nonne interim saepe multi minus respiciunt virus coronae impugnandum quam sub praetextu viralis fovent atque augent lucrum suum quam bellissimum?

Quinto decimo: Nonne etiam temporibus pandemicis civibus liberis licet rationes politicas perquirere critico cum acumine mentis? An talibus temporibus omnes homines debent induere mores serviles?

Sexto decimo: Talibus quaestionibus perscrutandis si commoveor, sumne „denegator coronae“?

An potius ii, qui tales quaestiones conantur supprimere, sunt „denegatores disquisitionis rationalis“? Uter horum magis nocet societati hominum: „denegator coronae“ an „denegator disquisitionis rationalis“?

**„*Omnia autem probate: quod bonum est tenete*“
*dicit Paulus Apostolus in Primâ Epistulâ ad Thessalonicense datâ (1 Thessal. 5,21).***



ABSINT COGITATORES „TRANSVERSALES“!



PRO MASCAE OFFICIO SIT OFFICIUM COGITANDI

QUADRAGINTA UNAM

CRITICAS QUAESTIONES

AD PANDEMIAM CORONAE SPECTANTES

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS

LIBERTINI FRANCOFURTENSES NUMEROS EXPLICANT PANDEMIAE



<https://youtu.be/YUPW4WtseEc>

HOC SCOPOCINEMA COPIATE ET DIFFUNDITE! NAM MOX DELEBITUR A CENSORIBUS.
GÄNSEHAUT PUR: Frankfurter Freigeister veranschaulichen die Zahlen der "Pandemie"

**Nos, Libertini Francofurtenses, hōc loco symbolicē explicamus
numeros istius pandemiae et declaramus, quae de istâ sentiamus.**

m.Febr. a.2021

*In botone mulieris pectorali legitur „umarmbar“
i.e. „(sum) amplexibilis“*

HEUS VOS CARI HOMINES !

Nos, Libertini Francofurtenses, hodie vobis numeros pandemiae a sensibus remotos explicabimus aliquanto concretius. Nam difficile nobis est animo fingere numeros magnos, quia tales numeros sensibus non possumus experiri. Itaque nos hīc praeparavimus parvum diagramma columnae.

Columna nostra altitudine est 8,30 m (octo – virgula – trium metrorum) ideoque proportione respondet 83 (octoginta tribus) milionibus incolarum Germaniae, i.e. omne milimetrum columnae est symbolum decem milium incolarum. Ergo 10 milimetra altitudinis valent centum milia incolarum. 10 centimeta sunt unus milio incolarum. Unum autem metrum significat 10 millones incolarum.

Hôc loco inferiore videtis taeniam albam. Quae valet multos illos homines parvulos, qui anno proximo praeterito in lucem Germaniae sunt editi. Quorum fuerunt ferê 770.000 (septingenta septuaginta milia). Itaque haec taenia habet altitudinem 77 (septuaginta septem) milimetrorum. Illa taenia nigra supra sita est 96 milimetra alta et symbolicê significat numerum hominum, qui anno 2020 mortui sunt quâcumque de causâ. Quorum sunt in summâ 960.000 (nongenta sexaginta milia).

Ex his 960.000 (nongentis sexaginta milibus) hominum, qui mortui sunt anno proximo praeterito, circiter 40.000 (quadraginta milia) hominum mortui sunt, qui dicuntur habere quandam rationem ad morbum covidianum. Hi casûs mortis significantur illâ taeniolâ flavâ supra positâ, quae altitudine est quattuor ferê milimetrorum. Illi homines mortui sunt aetate mediâ plus octoginta annorum.

Inde consequitur supervacaneum esse disputare de existentiâ pandemiae.

Neque hôc tempore scimus, utrum illa quadraginta milia hominum mortua sint morbo covidiano *efficiente* an *comitante* an *absente*:

- 1). – quia probâ PCR adhibitâ nequaquam demonstrari potest hominem esse vîro coronae reverâ infectum – quod *Kary Mullis* probae inventor iterum iterumque affirmavit –
- 2). – quia *Institutum Roberti Koch* iam pandemiâ ineunte ab obductionibus corporum mortuorum dissuaserat – quo investigatores virus coronae impugnare contendentes reverâ hastas iam abiecerunt.
- 3). – quia lucricupidinis causâ multa testimonia mortis sunt falsata.

Sed Professoris *Püsche* Hammaburgensis aliorumque gratiâ scimus paucissimos tantum homines officialiter mortuos coronarios declaratos

reverâ mortuos esse morbo coronae. Ferê omnes illorum laboraverant uno aut pluribus morbis gravibus prius exortis necnon aetate erant valdê proiecti. Ut breviter dicamus: Pandemia nostra sunt illa quattuor milimetra ibi supra sita – i.e. homines, qui aetate mediâ plus 80 annorum sunt mortui. Illa 4 milimetra ex anno a diurnariis magno cum turgore verborum exaugentur ad pandemiam. Ita hominibus consulto terror inicitur, ut parati sint ad vaccinationem subeundam. At vaccina, quae adhibentur, nequaquam sunt probata spatio temporis longiore. Ista vaccina nuntii acidi ribonucleinici (m-RNA) participia sunt generationis vaccinorum prorsus novae, neque umquam antea sunt admissa ad usum humanum. Propter 4 illa milimetra, quae participant 8,3 metra!

Quod nunc gubernatio isto vaccino genetico parum probato totum populum est vaccinatura, perquam periculosum est et morali responsalitati adversissimum, necnon – prorsus supervacaneum.

Redeamus ad vitam socialem cottidianam! Aperite vestras tabernas, domos cultûs civilis, theatra, orchestras, ut a societate nostrâ avertamus detrimenta etiam plura!

Restat ut multum inter nos colloquamur! Conveniamus tempore vernali Berolini. Sive nobis permittetur, ut congregemur sive non – nos sumus superanus! Si nos volumus congregari, hoc faciemus. Gubernatio autem exstat populi causâ, non vice versâ!



**MEDULLITUS VOS SALUTAMUS
EX BRANDENBURGIA ORIENTALI!**

BERNENSIS MANIFESTATIO HYGIENICA

(31.10.2020)



<https://philosophia-perennis.com/2020/11/11/ein-verstoerendes-video-zur-hygiendemo-in-bern/>

Horribile visu et auditu! Quid volunt artifices Bernenses hac pompâ formidulosâ? Utrum artem creant artis gratiâ? An spectatores volunt provocare? An depingunt dictaturam hygienicam „futuribilem“ (ut aiunt theologi)?

Refert Dr. Wulf D. Wagner, in Latinum convertit Leo Latinus.

Isto scopocinemate* animus deprimitur, arroditur, formidine corripitur. Duo ordines sénorum animantium, quae integra albis vestibus involuta albisque mascis facierum plasticis induit; quae mascae conclusae sunt exceptis rimulis oris et nasi et oculorum obscuris. Animantia phantasmatica titubant gradu aequo infra arcum, trans plateam. Sistunt, capita allevant et torquent, demittunt. Deinde ire pergunt.

* **scopocīnēma**, -atis n. Video.

E parvo megaphono abruptē emittuntur verba vocis tranquillae sed frigidae, adduntur soni spiritūs interclusi artē meantis, magni soni pedum monotonicē gradientium:

<https://philosophia-perennis.com/2020/11/11/ein-verstoerendes-video-zur-hygiendemo-in-bern/>


„Cataractae disinfectionis sint in institutis publicis. Mors solitaria est caritas erga proximos. Vera libertas est insulatio. Cogitatio propria nocet saluti publicae. Vaccinatio est caritas erga proximos. Propinquitas vitanda est in sempiternum. Omnia sacrificare, ut curetis valetudinem! Seiungite vos ab infectoribus! Protegite non natos, abstинete ab iis gignendis! Pródite vicinos! Supplicium sumant violatores regularum, infectores custodiā puniantur solitariā.“

Sistunt. Capita tollunt, demittunt. Pergunt titubare.

„Mascarum obligatio sempiterna. Adversarii vaccinationis priventur iuribus. Concedite normalitati! Mascarum recusatores proscribantur. Haec est vera socialitas. Vitate contaminationem. Valeat libertas a germinibus absoluta. Corpore tangendo fit passio, nihil securum nisi solitudo. Neonati quoque ad mascam sunt obligandi. Spiritus noster necat. Securus non es nisi insulatus. Obsequere! [...]“ etc.

**DE BERNENSI
MANIFESTATIONE HYGIENICA
RETTULIT WULF D. WAGNER
IN LATINUM CONVERTIT
LEO LATINUS.**

QUONAM MODO EXORTA EST PANDEMIA QUAE DICITUR CORONARIA?¹



Prof. Dr. Rolandus Wiesendanger

Iam per spatum plus unius anni vîro coronae ingens efficitur calamitas. Nunc *Prof. Dr. Rolandus Wiesendanger* nanoscientista disquisitione indagavit istius vîri originem. Idem vir doctus ex indiciorum et numero et qualitate concludit pandemiam praesentem effectam esse infortunio laboratorii virologici Wuhanensis.

Haec disquisitio facta est spatio temporis, quod fuit inter mensem Ianuarium et Decembrem anni 2020. Eadem facta est variis disciplinis scientificis multisque fontibus adhibitis, quales fuerunt cum ceteri tum symbolae periodicorum et interretialium et typis impressorum necnon colloquia cum collegis multarum nationum facta. Nihil est demonstratum cum rigore mathematico, sed inventa sunt indicia gravia et numerosa:

- Contra ac in epidemiis prioribus, quae effectae erant vîris coronariis, velut SARS et MERS, usque hodie, i.e. plus anno

¹ <https://www.uni-hamburg.de/newsroom/presse/2021/pm8.html> - 18. Februar 2021 Breit angelegte Diskussion als Zielstudie zum Ursprung der Coronavirus-Pandemie veröffentlicht.

post pandemiam eruptam, nullum inventum est animal hospitale intermedium, quo fieri potuisset, ut virus SARS-CoV-2 a vespertilionibus transferretur ad homines. Itaque theoria zoonosica expers est ullius fundamenti scientifici.

- Vira ipsius SARS-CoV-2 stupendâ cum facilitate se adiungunt receptorii cellularum humanis et invadunt in cellulas humanas. Hoc fieri non potest nisi speciali **dominio iunctorio receptorii cellularis**, quae iuncta est cum speciali **loco furini fissorio** proteini coronarii mucronati. Utraque qualitas quia usque nunc non inventa erat in vîris coronariis, indicio est originis vîri SARS-CoV-2 non naturalis.
- Vespertiliones in mercatu piscario mediâ in urbe *Wuhan* sito, qui in suspicionem vénit, non venaliter prostiterunt. At in instituto urbis *Wuhan* virologico est una ex totius mundi maximis collectionibus vîrorum, quae inventa sunt in vespertilionibus cavernas austrosinenses inhabitantibus. Omnino non est verisimile vespertiliones duobus ferê milibus chiliometrorum remotos viâ naturali urbem *Wuhan* petivisse, ut prope illud institutum virologicum pandemiam efficerent ubiquitariam.
- Grex quidam investigatorum Wuhanensis per multos annos vira coronaria studuit genotechnicê eo fine mutare, ut fierent contagiosiora et periculosiora et magis mortifera. Hoc apparent ex numerosis symbolis, quae in litteris scientificis sunt publicatae.
- Iam ante pandemiam vîri coronarii eruptam in instituto urbis *Wuhan* virologico magni fuerant defectûs securitatis, qui documentis sunt mandati.
- Sunt numerosa indicia directa, quibus apparent virus SARS-CoV-2 exortum esse in laboratorio. E.g. quaedam virologa iuvenis Wuhanensis prima dicitur hōc vîro infecta esse. Praeterea numerosis ex indiciis concluditur istud virus iam mense Octobri a.2019 ex instituto virologico Wuhanensi profectum per urbem Wuhanum et extra eandem esse diffusum. Ceterum sunt indicia, quibus consideratis patet primâ parte mensis Octobris dimidiâ anni 2019 hanc eruptionem viralem disquisitam esse a magistratibus Sinensibus.

Prof.Dr. Rolandus Wiesendanger: „*Pandemia coronaria*” inquit, “non sôlum nunc tractatur a diurnariis ubique terrarum, sed nos occupatos tenebit etiam per multos annos futuros – cum ceteris tum

effectibus socialibus atque oeconomicis. Scilicet ex mensibus a politicis et diurnariis quaeritur, quomodo agatur cum calamitate coronariâ et quonam modo superetur. At iam hodie multum valet quaerere criticâ ratione scientificâ, quomodo exorta sit ista pandemia; nam nisi hoc cognoverimus, curare non poterimus, ut verisimilitudo, quâ pandemiae similis generis exoriantur, maneat quam minima“.

Disquisitio Wiesendangeriana mense Ianuario a.2021 perfecta primo in circulis scientiarum est distributa et disputata. Eadem nunc publicata fieri poterit, ut latius disputetur, praesertim ratione morali perquiritur ista investigatio, quâ germina morbifera fiant contagiosiora et periculosiora magisque mortifera. Idem nanoscientista Hammaburgensis: „Haec res“ inquit „oportet ne tractetur diutius tantummodo in circulis scientiarum, sed oportet sine morâ disputabitur publicê“.

Die Studie ist veröffentlicht unter:

<http://doi.org/10.13140/RG.2.2.31754.80323> Pressemitteilung als PDF

Für Rückfragen:

Prof. Dr. Roland Wiesendanger

Universität Hamburg

E-Mail: wiesendanger@physnet.uni-hamburg.de

HOC EX SUMMARIO APPARET QUID PROF.DR. ROLANDUS WIESENDANGER NANOSCIENTISTA HAMMABURGENSIS INVENERIT DE ORIGINE PANDEMIAE CORONARIAE

FABELLAE ANDERSENIANAE

REGINA NIVALIS (I)



FABELLA PRIMA, QUA AGITUR DE SPECULO EIUSQUE TESTULIS.

St, nunc incipiamus. Si hanc fabellam narrare finiverimus, plura sciemus quam nunc, nam persona praecipua fuit malus magus, unus e pessimis, fuit enim diabolus! Aliquo die idem fuit bono animo, nam speculum confecerat, quod tale fuit, ut omnia bona et pulchra, quae eodem reflectebantur, ferê ad nihil redacta sunt, sed ea, quae foeda atque inepta, eminebant fiebantque etiam foediora. Regiones pulcherrimae in isto speculo aspectum praebebant spinaceae percoctae et homines formosissimi in eodem videbantur distorti aut in capite stabant inversi truncō corporis ablato, facies eorum erant deformatiores quam ut recognoscerentur, et si quis quâ erat lentigine, certum erat eandem per ôs et nasum diffusum iri. Diabolus autem dixit hoc esse perquam delectabile. Si qui homo aliquid cogitabat bonum atque pium, in speculo eiusdem vultus visus est in torvum renidens, quo aspecto diabolus ridebat de inventione suâ. Omnes, qui scholam eius frequentabant magicam, circumcirca narrabant miraculum esse factum; nunc demum posse videri, qualis esset aspectus mundi hominumque verus. Iidem circumcirca currebant speculum ita ostentantes, ut denique esset nulla terra nullusque homo, quin appareret in isto speculo distortus. Nunc voluerunt etiam ad ipsum caelum volare, ut irriderent Deum carissimum. Quo altius volabant speculum gerentes, eo magis idem in torvum renidebat, et vix speculum retinere poterant; volabant altius altiusque, Deo angelisque appropinquantes; tum speculum in torvum renidens contremuit tam horribiliter, ut e manibus illorum evolaret et in terram decideret, ubi dissiliret in centum miliones testularum. At eo ipso effectum est etiam multo maius infortunium quam antea, nam nonnullae testulae speculi,

quae fuerunt magnitudine granuli harenæ, circumvolaverunt per terras longinquas, et ubicumque invadebant in hominum oculos, ibi residebant; quo fiebat, ut homines viderent omnia falsata inque omni re videbant aliquid pravum, nam omnis testula speculi tantam vim retinuerat, quantum habuerat speculum integrum. Nonnulli homines testulam acceperunt ipsi cordi impactam, quo facta est res formidulosa; nam cor simile factum est glaebæ glaciali. Nonnullæ testae speculi diffracti tantæ erant, ut adhiberentur ad fenestras fabricandas; sed haud decebat per tales fenestras aspectare amicos. Quaedam testulae speculi adhibitæ sunt ad perspicilla fabricanda; quibus impositis homines frustra conati sunt rectē videre et iustē iudicare. Diabolus autem tam vehementer ridebat, ut non multum abasset, quin eius venter dirumperetur, et iucundē titillaretur. At foris adhuc circumvolabant testulae vitreæ. Nunc audiemus quid de iisdem factum sit.

FONS:

Andersen, H[ans] C[hristian]: Sämmliche Märchen. Lipsiae³¹[ca. a.1900], p. 274-276.

ligamen¹ permansivum²:

<http://www.zeno.org/nid/20004412540>



ECCE DAEMONES ET SPECULUM MAGICUM.

Pinxit Pedersen.

¹ **ligāmen interrētiāle:** theod. *Link*; angl. *(hyper)link*; fr. *hyperlien*; hisp. *hipervínculo*; ital. *collegamento ipertestuale*. Ipse iam proposui **iūnctiō**, -ōnis f. (interrētiālis).

cfr <https://alt.language.latin.narkive.com/0wCR3KCO/latin-word-for-link> (Klaus Scholl): "There are different lat. translations for "Link" in Use. It is time to standardize, that means to make Consens for one of them, discarding the other ones: vinculum – ligamen – nexus - nodus – conjunctio. What do you think? Greet from Klaus." -

² **ligāmen +permānsīvum:** theod. *Permalink*.

ECHUS VOCES EPISTULAE

Die 01. m.Mart. a.2021 h.14:24 scripsit Gaius Licoppe:

Gaius Nicolao optimo s.p.d.

Non ante finem mensis Februarii rem tuam perficere potui, mihi enim duae acroases pro Academia celeriter erant conscribendae.

Ceterum admiratus sum celeritatem qua audita Christiani acroasi epitaphia canina collegisti ad Leonem Latinum componendum, una nocte!

Cura ut valeas.

D.01. m.Mart..a.2021 h.11:12 scripsit Dr.Attila Farkas physicus
attila.farkas@uni-ulm.de:

Lieber Herr Groß,
 die Epitaphien von Hunden sind eine sehr schöne und rührende Lektüre. Vielen Dank dafür!
 Herzliche Grüße,
 Attila Farkas

Nicolaus Attilae s.
 Care Attila,
 valde gaudeo, quod tibi placent Epitaphia canaria. Ceterum tibi exopto tibi septimanam iucundissimam. Haec hactenus, mox certe plura.
 Vale pancratice.
 Medullitus te salutat
 Nicolaus Groß
 Leo Latinus.

CORRIGENDA ET SUPPLENDIA

EL 229, p.3, lin.15: ...ut amarum **medicamentum** *philosophicum*, quo anima lectoris sanaretur, more *Lucretiano* bibenti facerem iucundius (*non: iucundiorem*) orae poculi allito melle dulcissimo.

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuē disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandas.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR .	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAЕ	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIAE II	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !



HANC EPISTULAM LEONINAM

DUCENTESIMAM TRICESIMAM

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT



Die Dominicâ, 07. m.Mart. a.2021

Dr. Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae